





XIV, 32.

~~##~~, 61.







C  
PLA  
HO

earu

JOHA  
SCE

Exscr





CATALOGUS  
PLANTARUM  
HORTI MEDICI  
JENENSIS

earumque quæ in vicinia  
proveniunt,

*editus*

à

JOHANNE THEODORO  
SCHENCKIO, Med. D. &  
Profess. Publ.



JENÆ.

Exscribebat SAMUEL KREBS;

M. DC. LIX.



CATALOGUS  
PLANTARUM  
HORTI MEDICI  
JENENSIS  
CANTUINGUE DUC IN VICINA  
PROVINCIA



JOHANNES ANNALENDORFENSIS  
SCHULZ  
Prof. Pub.

J. B. M. W.  
Exhibitor SAMUEL KREBS  
M. DC. LXX.



P

Do

cib

Mo

M

Nu

L







SERENISSIMIS ET  
CELSISSIMIS

PRINCIPIBUS  
AC DOMINIS,

Dominis Utriusque Lineæ Du-  
cibus Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac  
Montium, Landgraviis Thuringiae,  
Marchionibus Misniae, Comitibus  
Marcae & Ravenspergae, Domi-  
nis in Ravenstein &c.

Nutritoribus Academiae Je-  
nensis munificentissimis,

*Dominis meis Clementissimis  
Felicitatem!*

**I**nter praelustria Aca-  
demiarum ornamen-  
ta & commoda non

a 2

im-



immeritò referuntur HORTI  
MEDICI, qui promptuarium  
sunt plantarum omnis generis  
officinalium, ut taceam alia-  
rum etiam, quarum usu inter  
delicias generis humani reposi-  
to nunquam non intimè dele-  
ctamur & reficimur.

Quo tempore in scholas in-  
troducti fuere horti satis non  
constat. Palàm autem & apud  
omnes in confesso est, cognitis  
his & exstructis minore multùm  
cum labore, sumptibus paucio-  
ribus Artem Medicam tradi &  
doceri, adeò ut mirari nunc de-  
sinant, qui nostris hodiè tempo-  
ribus tot ætate Juvenes medica  
peritiâ celeberrimos florere pas-  
sim



sim & in forum prodire inaudi-  
unt.

Tali de *ἡσώωεισμός*, ad imitati-  
onem Bononiensis, Parisiensis,  
Montispeffulani, Leidensis, Alt-  
dorfini, Lipsiensis &c, Patres Pa-  
triæ, Principes Serenissimi, cum  
Academia Vestra, celeberrimo  
illi Apollinis & Musarū domici-  
lio, abundantissimè prospexeri-  
tis, septimusq; nunc agatur an-  
nus, ex quo Chemnitio-Jenam  
à Serenissimis Celsitudinibus  
Vestris evocatus, istius curæ ad-  
ministrationique, jubentibus il-  
lud ita & volentibus Facultatis  
Medicæ statutis, præsim: operæ  
pretium mearumque partium  
esse duxi, qualemcunque HOR-



TI MEDICI VESTRI descriptionem tum plantarum, quibus hactenus refertissimus existit, enumerationem & Syllatum Juventuti Medicæ proponere, hocq; ipso de Studii Medici hac in Salanâ augmento amplissimo, quantum atq; Serenissimo Nomini Vestro salus Medica debeat apud exteros testari.

Frustrâ mihi malève hunc laborem cessisse non spero, qui licet mole exiguus esse appareat, sat magnus tamen & vel eo nomine major, quod FUNDATORUM & NUTRITORUM per orbem admirabilissimorum immortalem beneficentiam & famam deprædicet.

Vota,



Vota, quæ pro Vestra incolumitate facio, divina nutu suo confirmet potentia, qui, quo fausta eant redeantq; initi Seculi Academiae secundi in mores tempora priscos, sintq;, Serenissimæ Domui Saxonicae ab utraque parte felicissima, DEUM precibus meis defatigare nunquam desino. Dabam in Academia Vestra ipsis Calendis Febr. Anno MDCCCLIX, qui post Jubilæum Academiae primus illuxit.

*Serenitatum & Celsitudinum Vestrarum*

*vita & officio devotissimus*

Johannes Theodorus Schenck,  
Med. Doctor, P. P. Horti Praefectus.

DE



DE  
STUDII BOTANI-  
NICI JENENSIS INI-  
TIO, PROGRESSU ET STATU  
AD LECTOREM BENI-  
VOLUM  
EPISTOLA.

**H**ORTORUM quisquis  
amoenitate delectatur, is  
nec verbis exprimet satis,  
nec penicillo sufficienter delinea-  
bit eorum naturam. Siquidem or-  
tum penè coelestem sortiuntur,  
quodque ipsis solertia humana adje-  
cit, hoc linguam superat.

Unde, quanquam animus mihi  
erat, conatu aliquo id, quod alii, qui  
hortos descripserunt & plantarum  
historiam evulgarunt, infectum re-  
liquerant, experiri: mutare tamen  
illium atque deponere vetus ista:  
*Manum de tabulâ, me paræmia mo-  
nuit.* In-



Incidimus enim in ea tempora,  
quæ livoris & arrogantia multum,  
æquitatis & benevolentia parum  
spondent.

Ea propter meo muneri in præ-  
sentiæ fati ut faciam, hanc qua-  
lemcunque publicæ utilitati non  
tàm probo, quàm commendo ope-  
ram.

Verùm ; sicuti omnium rerum  
primordia exilia prodeunt, atque  
pedibus conculcantur sæpius ma-  
gnarum virium adolescentes her-  
bæ: ita quæ mens, quæ manus ho-  
minum effingit, nulla fermè suo sub  
ortu & pro nihilo habentur, usque  
quo tandem in messem uberrimam  
desinant.

Simile Botanico studio fatum  
obtigit, quod humili pronatum lo-  
co, antiquitùs in Scholis non mul-  
tùm suspiciebatur, sed habitum atq;  
inter



inter vilia artium genera numeratum, negligentius paulò pertractabatur. Quasi verò quarum curam agerent & rationem tenerent, eæ solùm essent herbarum causæ, ut non universo nisi orbis systemati ornamentum conciliarent, præterea, nihil, vel saltim brutis in alimentum, hominibus in solatium & oblectamentum quodammodò cederent.

In aliam itaq; postquam eos sententiam rei eventus traxit, longè cogitationibus expectationibusque sublimior, melius non modò de plantarũ cognitione sentire, quàm earum quoque de usu Medico solliciti esse coeperunt. Cujus quotquot videmus in gratiam vitæ & valetudinis conservandæ exstructa pharmacopolia, testes plenissimi sunt, quæ Hortorum Medicorum excellen-

len  
bita  
gen  
pro  
pri  
nu  
ad  
FA  
tio  
Ac  
qu  
oc  
sita  
Me  
inf  
ru  
ho  
po  
su  
ur  
of



lentiam juxtaq; necessitatem indu-  
bitatò arguunt. Hoc verò in artis  
genere quid actum sit & quinam  
propagatores & propugnatores ejus  
priscis extiterint temporibus, meū  
nunc non facio, neq; pertinens hoc  
ad propositum quod mihi præfixi,

Ex annalibus autem **MEDICÆ**  
**FACULTATIS** ejusque constitu-  
tionibus sancitis sub introductione  
Academiæ anno supra millesimum  
quingentesimo & quinquagesimo  
octavo colligo, in cathedral propo-  
sitas initiò lectiones de simplicium  
Medicamentorum facultatibus, atq;  
institutas demonstrationes planta-  
rum annuas, tuncq; ob penuriam  
hortorum publicorum, pharmaco-  
polis administrantibus, quas aut ipsi  
suos inter parietes educari aut ali-  
unde adferri curaverant, herbarum  
officinalium aliarumque minùs fa-  
milia-



miliarium & exoticarum genera  
discientium oculis subjectas fuisse.

Splendidiores tunc & auctiores  
reddebantur actus gratioso studio-  
forum confluxu, quorum alii e-  
quis, alii essedis conductis, in mon-  
tem herbarum varietate excellen-  
tem non minùs, quàm situ aspectuq;  
jucundissimum, qui Gleiffa voca-  
tur, dimidium lapidem ab urbe, qua  
ad dextram & orientem itur, distan-  
tem, quotannis se recipiebant, tum-  
que triduum inibi Floralia ab Apol-  
linis Antistitibus celebrabantur.

Manum sacris his primam auspi-  
catamq; admovit JOHANNES SCHRÖ-  
TERUS Vinariensis, qui Collegis &  
Successoribus facè laudabiliter præ-  
tulit, mansitq; recepta methodus  
botanica integra & incorrupta an-  
nos penè septuaginta duos, quam  
continuârunt cum primis LAUREN-

TIUS



TIUS HIELIUS, MICHAEL NEANDER,  
LUDOVICUS STURMIUS, ANDREAS EL-  
LINGERUS, GERVASIUS MARSTALLE-  
RUS, HEINRICUS MILICHIUS, JACO-  
BUS PHILIPPUS SCHRÖTERUS, ANTO-  
NIUS VARUS, ZACHARIAS BRENDE-  
LIUS, EUSEBIUS SCHENKIUS, quorum  
in re herbariâ singularis accurataq;  
peritia reliquos famâ superabat.

Sed annus agebatur sexcentesi-  
mus supra millesimum & vicesimus  
nonus, cum GUERNERUS ROL-  
FINCKIUS Hamburgensis ex Aca-  
demia Witebergensi, in quâ non-  
tâm prima quondam artis tyrocinia  
subierat, quàm tùm Phil. & Med. D.  
redux ex Italia commorabatur, Ja-  
nuarii mense Serenissimorum Nu-  
tritiorum voluntati humiliter ad-  
nueret, evocatusque, ejusdem anni  
mense verno ultimo, III. Eid. Maj.  
Academia ingrederetur, cumque  
ipso



- ipso adparatus ad augendum illu-  
strandumq; Medicinæ studium ele-  
gantissimus.

Ad examen itaq; simplicium ubi  
deventum erat, difficilis videbatur  
recepta ipsi docendi plantas via, ut-  
pote quæ oneris & molestiæ in se  
multum recipiebat, utilitatis verò  
sat modicum. Non enim unico  
intuitu, non eodem tempore, non  
pari cum fructu, tot plantarum  
diversarum genera, totuplices ge-  
nerū species, innumeræ specierum  
differentiæ & partes juventuti osci-  
tabundæ, & parum fideliter sua cu-  
ranti, poterant offerri. Planta vide-  
licet sæpius visa & attacta, partium  
ortus & interritus diligenter explo-  
randus, vires odore & sapore digno-  
scibiles, accessu iterato, commodo &  
concesso non nisi operam nobis fru-  
ctuosam repromittere videbantur,  
ut



ut exindè solidior evaderet intelle-  
ctus discentium, scientiamq; pro-  
duceret.

Cui fini cum passim in Acade-  
miis Horti introducti Medici ad sen-  
tentiam satisfacerent, Italia Patavi-  
num, Gallia Parisiensem, Belgium  
Leidensem, Germania superior Alt-  
dorfinum, quà præstantiam quà uti-  
litatem mirificè commendarent;  
ipsi etiam Juvenum animi perno-  
scerent, quantum interesset tanto  
gaudere bono & frui adminiculo:  
citra moras temporisq; dispendium  
de exstruendo consimili herbarum  
phrontisterio deliberatum atque  
summa rei Academiae Senatui in  
considerationem oblata fuit.

Ad clavum regiminis tùm sede-  
bat JOHANNES GERHARDUS Theo-  
logus celeberrimus, cui præter-  
quam quod nihil frequentius erat,  
quàm



quàm bono publico inservire, placebat Patribus Academiae causam rei nunctatò exponere, expositamq; quantū possibile foret, ocyus efficere. Nova quidem & insolita multorum aures, qui ad consultandum, vocati consedebant, feriebat propositio, nuncquè de loco, nunc de sumptibus, nunc aliis de requisitis, commodis & periculis disceptabatur; re tamen altiùs à quibusdam, qui amore salutis publicæ accensi levicula ista supprimebant, pensitatà, & locus & sumptus, quæq; necessaria esse judicabantur, adparebant.

Locus horti ab HIERONIMO PRÆTORIO insigni illo Ethices & Politices Professore Publico monstrabatur, in confinio Auditorii Philosophici, Bibliothecæ & murorum urbis, oleribus educandis antea a-

ptus



ptus, nunc tot raris, odoris & deli-  
catis utilibusq; plantis, fruticibus  
arboribusq; sacer, cujus longitudo  
64. latitudo 37. pedes complexa sul-  
co designabatur, aque areâ Oecono-  
mi erecto pariete integerino distin-  
guebatur.

Ne verò Serenissimorum Nutri-  
tiorum Voluntas obicem intentio-  
ni poneret, literæ supplices ad aulas  
missæ sunt. Cumq; in viciniâ, Hum-  
melshanii nimirum, Serenissimus  
& Celsissimus Princeps ac Domi-  
nus, Dominus JOHANNES PHILIPPUS,  
Dux Saxoniae, Juliaci, Cliviae ac Mon-  
tium &c. lineæ Altenburgensis, bea-  
tissimæ memoriæ, Nutritor Athenæi  
hujus ac literarum Musagetæ muni-  
ficentissimus, venationi operam  
daret, ipse B. Gerhardus non modò  
honestæ istius petitionis scopum  
attigit, sed & concessas ab Illustris-  
sima



firmâ Celsitudine arbores aliquot ad  
extruenda sedilia, scamna, scalas, fo-  
res, &c. dono facillimè impetravit,  
quæ sumptibus Universitatis dedo-  
latæ per vecturam precariam ab Il-  
lustri & Generoso Urbis & præfe-  
cturæ Jenensis tum temporis Capi-  
taneo, DN. FRIDERICO à Rospoth  
uff Senstendorff &c. p. m. procu-  
ratam, sunt allatæ.

Ineunte subsequentiis anni vere,  
sub Rectoratu DANIELIS STHALII,  
Logic. & Metaphysic. P. P. acutissi-  
mi, tellus designatâ, vomere prius  
scissa & stercoreata, in areas quatuor  
quadratas divisa fuit, pulvillisque  
separatis à se invicem, quorum in-  
termedia & ambulacra depressiora  
fiebant, distincta buxo humili, exor-  
nabatur, constituto insuper irrigan-  
darum plantularum gratiâ ad muri  
superioris dextrum angulum, aqua-  
rio. Neq;



Neque laboratum segniter, quin  
breui temporis spatio manu ROL-  
FINCKII, totum negotium dirigen-  
gente, ejusdemque contubernali  
PAULO MARQVARTO SCHLEGE-  
LIO laborem arduum indefessum-  
que conferente, Hortus Medicus  
ad umbilicum perductus est, qui  
plantis & fruticibus tam indigenis  
quam raris exoticisque, ordine al-  
phabetico areolis insertis, in quibus  
præcipuè Serenissimus ac Celsissi-  
mus Princeps ac Dominus, DN. ER-  
NESTUS, Dux Saxoniae, Jul. Cliv. ac  
Mont. &c. Lineæ Vinariensis, Acade-  
miæ Sospitator clementissimus, tunc  
se liberalissimum exhibuit, cum eæ-  
dem abundè ex horto Ducali Vina-  
riensi & Lüzendorfensi, transmit-  
terentur, locum habitationemque  
celeberrimum concessit.

Duodecimo Calend. Augusti ex  
decre-



decreto Facultatis Medicæ, à ROL-  
FINCKIO, cui titulus Præfecti Hor-  
ti Medici ob insignē ejus in re her-  
bariâ peritiâ, conferebatur, *De-*  
*monstrationes Botanica hortenses* Phi-  
losophiæ & Medicinæ Studiosis pu-  
blicæ intimabantur, cumq; harum  
de utilitate in frequentissimo con-  
fessu verba Oratore non minus  
quàm Doctore dignissima fecisset,  
lectiones hortenses à sequenti die,  
àquè primo pulvillo usque ad ulti-  
mum progrediendo inceptas cir-  
ca festum Michaëlis magnâ cum vo-  
luptate suavitateque eximiâ diebus  
ordinariis ad finem perduxit.

Elapso decennio, aucto planta-  
rum numero cœtuq; Studiosorum  
Artis, auditô nimir. quantis admi-  
niculis fulta & splenderet & docere-  
tur Medicina, de ampliando loco,  
areis & pulvillis multiplicandis sen-  
ten-

tent  
TUS  
qui  
cto  
succo  
Rol  
in e  
taba  
tam  
rati  
exp  
Ad  
qu  
fest  
cog  
re  
re  
De  
Sa  
un  
te  
no



tentiam suam PAULUS MARQVARTUS SCHLEGELIUS Hamburgensis, qui Patavium evocatus, piè defuncto ZACHARIÆ BRENDELIO Juniori successerat, docendique magisterio Rolfinckium præceptorem, eâdem in exornandâ spartâ celebriter imitabatur, Facultati aperiebat, quæ tamen petito ejus subscriptura, quâ ratione idem locus termino tenus explicari posset, videre nequibat. Ad aulas quocircâ remittebatur, quarum in artem Medicam & Professores favorem perspectissimum cognoscebat & venerabatur.

Sub idem tempus, fatis in unam rem auspiciatò concedentibus, à Serenissimo & Celsissimo Principe ac Domino, Dn. WILHELMO, Duce Saxonix, Julix, Clivix ac Montium &c. lineæ Vinariensis, incluto litterarum & bonarum artium Conserva-



servatore, Dominus ZACHARIAS  
Prüeschencf / JCTUS & Antecessor  
maximæ autoritatis Lycei hujus,  
qui tùm demortui Soceri FRIDERI-  
CI HORDLEDERI JCTI & Consi-  
liarii Saxo-Vinariensis eminentis-  
simi hîc degentis, munere t. t. ma-  
gnificè defungebatur, in Isenacensi  
Ducatu Proprincipis provinciam  
administrandi, in se recipere jussus,  
hortum, qui Principum vocabatur,  
cellæq; ducali ante urbis portulam  
Septentrionalem cohæret, hujus e-  
nim possessione præfatus Vir Ma-  
gnificus tùm temporis delectaba-  
tur, deserendum tradendumq; Præ-  
fecto quæstorio animum induxit.  
Situ autem, tùm quod probè muni-  
tus esset variaq; arborum specie su-  
perbiret, intentioni Medicorum o-  
mni ex parte respondebat.

Ne mora itaq; plus justo diutu-  
niori

nior  
exci  
reni  
WI  
GEL  
petr  
Me  
fed  
tu p  
dis  
ut f  
bus  
ner  
bus  
fac  
cul  
tias  
ter  
gel  
gel  
tur



niori perderet institutum, speque  
excideret concepta Facultas, ad Se-  
renissimam Celsitudinem Principis  
WILHELMI Vinariam SCHLE-  
GELIUS missus est, à quâ feliciter im-  
petravit non modò, ut Collegio  
Medico hortus iste extraderetur,  
sed &, postquam de fabricâ & orna-  
tu priore propemodùm immutan-  
dis doctè & prudenter differuisset,  
ut succenturiatam unà cum sumpti-  
bus necessariis operam quæstura Je-  
nensis suppeditaret, literis ducali-  
bus confirmatum fuit, quas redux  
factus loci Præfecto exhibuit.

Gavisa nuncio hoc lætissimo, Fa-  
cultas Principi munificētissimo gra-  
tias humillimas peregit, utq; in arie-  
tem reverso tunc sole, annus autē a-  
gebatur supra sexcentesimū quadra-  
gesimus, manus operi admoveren-  
tur, artis filios convocabat Director  
SCHLE-



SCHLEGELIUS, accersebantur opera-  
rii per Quæstorem, spatioq; trium  
mensium labor exercitio durus, ære  
sumptuosus, studio jucundus absol-  
vebatur.

*Longitudo* horti trecentorum &  
duodecim, *latitudo* septuaginta duo-  
rum circiter pedum est.

*Pars suprema* collina in vertice  
vineam, ad latera fruticetum cory-  
linum, sub calce nemus cerasinum  
consitum habet, quod æstivis calo-  
ribus dicam scribit, àque Zephyro-  
rum blandientium notu suaviter  
agitatum ventulum transeuntibus  
gratisimum impertit, squalidumq;  
occurfantis aëris impetum odo-  
râ humiditate infringit. In hoc  
gressus adventantium ocyores mo-  
rantur, cujus sedilia & vela parte  
non minus in umbratili, quàm um-  
bræ



brae causa ex periclymenis, syringis, clematidibus seriatim vinctis revinctisq; parata, ad quietem capeffendam apprimè follicitant.

Ad *dextram* introitus superior speciosè conformatus, umbratili è diametro opponitur, qui hospiti- bus elegantiam suam extrinsecè non parumper commendat.

Jurares in vertice colliculi constitutus ex eoq; circumspiciens Apollinem cum Musis sua quondam hinc castra metatum fuisse.

Ab hinc anfractuosa scalinaque semita ad subjacentem *mediam* devenitur, quæ superiore depressior. Ambitu suo plano & æquali sex areas continet, utrinque tres sibi invicem oppositas, quas hortos veluti minores alias diceret. Extrinsecus ambulacris amplis & spaciosis sejunguntur, intus varietate pulvillorum me-

b                          dian-



diante buxo in rosas, stellas, vel ex  
utroq; ue mixtas figuras, nunc conti-  
guas sineq; errore, nunc separatas  
distinguuntur, in quibus & vulgaris  
notitiæ, inquilinæ & peregrinæ ra-  
riorisq; faciei plantæ stationem ho-  
norabilem occupant, quæ omninò  
hoc in compendio discentium oeu-  
lis subministrantur, alioquin vix in-  
genti sine dispendio temporis, itine-  
rum difficultate, sumptibusq; ma-  
ximis conspicibiles.

Singulorum quadrantium peri-  
pheriæ ribesia & rosas: anguli sam-  
bucos, syringas, coluteas, juniperos,  
mala cotonea, persica, amygdalas,  
mespila oculis appropinquantium  
objiciunt.

Per intersepta ambulantes exci-  
piunt Ficus Indicæ, Gelsamina alba,  
lutea, phœnicea, aloë, lauri, myrti,  
paliurus, acanthus mollis, amaran-  
thi



ex  
ti-  
tas  
ris  
ra-  
no-  
inò  
eu-  
in-  
ne-  
ma-  
eri-  
am-  
ros,  
alas,  
um  
exci-  
alba,  
yrti,  
aran-  
thi

thi Indici, mala aurantia, citri, pseu-  
docapsicum Plinii, Limonium ma-  
rinum, vincetoxicum nigrum, cen-  
tumq; alia cum perennantium, tum  
annuorum florum Glyceria, ligneis  
fictilibusq; vasis utrinq; super sedi-  
lia distinctim obviis, inclusæ.

In lateribus circuitus & oris, quæ  
extuberant non nihil, parte læva, ar-  
bores pomiferæ & pyrifæræ, pruno-  
rum austerorum, dulcium, nigro-  
rum, rubrorum, nec non promiscui  
generis cerasorum eleganter assur-  
gunt. Cùm ad dextram itur, aquæ-  
ductus extat, largiter aquas suas e-  
vomens sitimq; squallentium plan-  
tarum restinguens, qui à super im-  
pendentium corylinorum & cerasi-  
norum frondium umbris contectus  
voluptate plus quàm melicâ intu-  
entes reficit.

*Infima* declivior huic inæquali-  
b 2 orq;



orq; graminibus gaudet, numero-  
saq; arborum domesticarum & syl-  
vestrium serie nitet. Quarum  
proceritas oculos delectat, foecun-  
ditas linguam nutrit, umbra verò  
frigidulis ebria ventis ad frequen-  
tiores accessus invitat, decumben-  
tibusq; gratam requiem adornat.

Ad laevam latior via est, quâ par-  
te sepimento munitur ex oxycan-  
tha, pyracantha cum primis & ligu-  
stro, vitæ alba rosisq; sylvestribus  
interfertis, parato.

Acclivior dexta urbem versus &  
morum consistit, ubi arbores ju-  
glandinæ prunis adsociatæ, amœ-  
nissimam circumspicientibus me-  
tam imponunt.

Anticæ parti Porta inferior comif-  
sa introeuntes ampla admittit, quâ  
relictâ per scalas lapideas quadri-  
formes iuitur ductus per mediū lon-  
gitu-

gitu  
amo  
mo  
que  
tiqu  
da d  
tur  
pro  
feri  
lan  
ren  
mit  
L  
plic  
Lu  
LIU  
tisi  
int  
tor  
que  
inst  
ex



gitudinem gyratim excurrrens vi-  
amq; ad ipsa plantarum atria com-  
monstrans. Hæc facies est horti, in  
quem pedem immittere plebeis, u-  
tique concessum. Ut autem mun-  
da deterfaq; stent omnia, defendan-  
tur etiam à tempestatum injuria,  
proterviamque deambulantium malè  
feriantium evitent plantæ, Hortu-  
lani ex ærario ducali stipendia aufe-  
renti curæ fidelissimæ hortus com-  
mittitur.

In hoc primus ostensionem sim-  
plicium celebravit Præfectus PAU-  
LUS MARQVARTUS SCHLEGE-  
LIUS Botanices Professor exercita-  
tissimus, quam more majorum per  
integram æstatem quotannis audi-  
torio nunquam non gratioso & fre-  
quenti exhibuit. Quo factum, ut  
institutum celebre totiq; Academiae  
ex usu ad aulas deferretur, hocq;



legibus latis postea confirmaverunt  
Principes munificentissimi, horticul-  
turam medicam non semel clementis-  
sima suâ præsentia condignati.

Elapso biennio cum SCHLEGELIUS à  
fatis in patriam traheretur, CHRISTO-  
PHORUS SCHLHAMMERUS Ham-  
burgensis, electus successor, magnâ  
cum providentia, conatu favorabili,  
impensisque haud mediocribus spar-  
tam eandem exornare perrexit, cujus  
præmaturus obitus notabilem horto  
jacturam intulit. Ab hâc iterû liberan-  
dus is erit, qui post anatomen primas  
defero studio huic, illudq; meis oble-  
tamenti præcipuis adnumero, vix a-  
liâs nunc, ac antea solebam, de parte  
Medicinæ exercendâ tantoperè soli-  
citus.

Ad exemplum Antecessorum meo-  
rum quotannis cum eas, quas uterque  
Hortus, tum quas ager Jenensis copi-  
osè profert, plantas auditoribus ver-  
nis æstivisque mensibus ostendo, cum  
ipsis per juga per valles excurro, pere-  
grè

grè  
nam  
coq  
gau  
voca  
scan

V  
GUM  
tis,  
sper

N  
rum  
HIN  
exp  
qui  
nen  
que

NGH  
van  
tuta  
rific  
rep  
fing  
div



grè ab eo colligo que quicquid urba-  
nam fugit vitam & domesticam, rusti-  
co que magis atque suo solo affixum  
gaudet. Cum primis, quæ Officinales  
vocantur, ut intus & in cute cogno-  
scantur, methodo recepta profero.

Veritati comitem addidi CATALO-  
GUM PLANTARUM desideratum à mul-  
tis, quod scio, & utilem juventuti ceu  
spero.


Nominibus non meis, sed Clasfico-  
rum, potissimum verò à CASPARO BAU-  
HINO Aquilâ Botanicorum in Pinace  
expressis, usus. Auctiorem dabunt,  
qui mea olim vestigia legent. Interim  
nemo invidabit succisivo huic labori,  
quem bono publico ἀνευ ἀλαζονείας  
καὶ ὑπεροχῆς consecro. Sanè, quæ ju-  
vant bonum publicum, quantumvis aut  
tuta sint aut levia, sperni nequeunt. Ir-  
risionem haud merentur lecta sæpius &  
repetita à Socrate, sed quæ quis simul  
fingit & credit. Ut humanum est labi, ita  
divinum erroribus dare veniam, &  
quod



quod displicet demissis dignari oculis. Monito huic cum à cubiculis, ego parentum & præceptorum hortatu, paruerim, amicos & optimos quosque meos, ut idem faciant, ferio compello. Tantum enim quis commodi sibi addit & gloriæ, quantum noverit ex parvâ re lucrum maximum adquiri posse. Tuis vero usibus Lector candide dicatur labor hic esto, quousque alia è penu meo hortensi offeram, candorem tuum & æquitatem iterum iterumque expertus.

Interea Halcyonia studiis nostris conserva DEUS omnipotens, augmentoque eorum benignissime adsta. Dabam in almâ Salanâ ipfis Calend. Maji. Anno qui Seculi Universitatis secundi extitit primus,

CLC LIX.



Abro.

PL

Abf

Aca

Aca

Ace

Ace



CATALOGUS  
PLANTARUM HORTI MEDICI ET  
AGRI JENENSIS.

A.



**Brotanum** densum fruticosum  
odoratum Lobelii.

Campestre Tabernæmontani  
caule rubente & albicante Mas.  
Fæmina Vide Chamæcy-  
parissus.

**Absinthium** Ponticum tenuifolium.  
vulgare Tragi.

Marinum.

umbelliferum Alpinum  
Clavennæ.

**Acacia** Ægyptia Dodon.

Nostras Germanorum.

**Acanthus** mollis & fativus Vergilii  
sylvestris spinosus Dodon.

**Acer** mas

fæmina.

**Acetosa** lanceolata major.

minor.

Hispanica rotundifolia repens  
Lobelii.

A

lutca



**lutea Cretica Vesicatoria.**  
major pratensis.

**Aconitum racemosum Gesneri,**  
yco & tonū vulgatius Clusii.  
luteum bulbosum hyemale  
Dalechampii.  
monococcon, vid. Herba  
Paris.

**Acorus verus officinarum**  
falsa Cordi in Dioscorid.

**Æschinomene Plinii.**

**Ageraton folio ferrato luteum Mes.**

**Agrimonia veterum Eupatorium A-**  
vicennæ dictum.

**Alcea vesicaria Veneta Tragi.**  
frutescens sylvestris.

major vulgaris Dioscorid.

syriaca arbore Ægyptia.

**Alchimilla vulgaris officinarum.**

**Allium serpentinum Creticum Camer.**

alpinum bicornis latifolium.

fativum.

allioporum.

sylvestre purpurascens.

juncifolium capitatum.

montanum latifolium, victo-

rials mas.

Alli-



Alliaria.

Aloe sempervivum Indicum mas.

fæm.

Alfine baccifera scandens maxima

hederacea. (Clusii.

petréa minima.

minor vulgaris murorum.

Althæa s. malva viscus Anguillar.

flore luteo Theophrasti.

trifolia Cretica.

Alyssum verticillatum foliis profundè

incisis Galeni.

Dioscoridis.

Amaranthus major obsoleti coloris.

panniculâ sparsâ.

ruber spica reflexa.

holosericeus cristatus

Lugdun.

pictus tricolor mas.

bicolor fæmina.

Amomum Plinii

Amygdalus procera fructi dulci

pumila fructu amaro. (mas.

Anagallis flore phœniceo Camerarii

terrestris cœrulea fæmina-

lutea nemorum.

A 2

aqua.

Clusii.  
male  
erba

es.  
n A-

amer.  
m.

victo.  
Alli-



- aquatica coerulea Thalii.  
flore pallido, sium dicta.
- Anagyris altera Matthioli.**
- Androface altera Matthioli.**
- Anemones domesticæ varietates.**  
sylvestris varii coloris.
- Angelica hortensis odorata Gesneri.**  
sylvestris Dodon.  
minor erratica, herba Ger-  
hardi.
- Anserina Lobel.**
- Antirrhinum majus Hispanicum pur-  
pureum,**  
flore albo oris rubētibus.  
sylvestre majus,  
minus  
spinosum Creticum.  
luteum elegantissimum.
- Apios Americanum.**
- Apium palustre Dodon.**  
montanum.
- Apocynum folio oblongo Syriacum.**
- Aquilegia sylvestris.**  
hortensis concava,  
stellata.
- Argemone altera Fuchsi,**

Ari-




Aristolochia, Clematitis dicta, rotunda.  
longa.

vulgaris, vide Fum. bulb.

Artemisia mater herbarum alba.

rubra.

Asarum, *ἀζαρία* *ἀζαρδ* .

Arum vulgare non maculatum.

fol. maculat Thalii.

Asphodelus flore melino Matthioli

fæmina.

albus ramosus mas.

non ramosus.

fistulosus flore cōcavato.

Aster polyanthemus virgæ aureæ facie.

virginianus luteus.

Atticus Guilandini cæruleus

montanus luteus folio glabro &

folio salicis hirsuto.

Conyzoides.

tripoloides Narbonensium lina-

-riæ folio luteus.

Astragalus Corniculatus Monspelien-

Bœticus Clusii.

(sum.

minor Clusii.

Atriplex baccifera sylvestris Clusii.

domestica purpurea Camerar.

A 3

folio

Ari-



folio in luteum langvescente.  
in viride.

album.

nigrum vergente

Matthioli.

fætida.

Auricula muris vid. Pilosella

urfi vid primula veris

Azedaracht, pseudosycomorus.

B.

**B** Arbarea five eruca Dodon.

Behen album Polemoniægenus.

Beidelfar Alpini, Esula indica

quorundam.

**Bellis hortensis flore variegato.**

pleno.

simplici.

albo pleno.

simplici sangvi-

ne rubẽte albo.

Atro rubente.

prolifera Came-

rar. variegata.

pratẽsis minor.

**sylvestris major caule folioso.**

cœru-



cœrulea minor, Globularia Co-  
lumell.

Beta alba officinar. Matthiol.

agria s. communis.

rubra vulgatio

Romana seu Erythrorrhizos

Lugd.

Cretica semine aculeato.

Betonica purpurea spica brevior  
flore albo Dodon.

Bistorta radice minus intorta fœmina.

intorta major mas.

minima alpina Camerarii.

Blattaria flore luteo

f. albo Lobelii.

purpureo Gesneri.

Blitum majus album Dodon.

nigrum Tragi.

caule tantum rubente.

Bolbonach Gesneri, viola junonis Ta-  
bernæmont.

Borrago buglossoides latifol. cœrulea.  
angustifol.

floribus albis Tabernæmont.

septentrionalium eleganter  
cœrulea.

A 4

Botrys



**Botrys Ambrosioides vulgaris officin.**

Mexicana foetida.

Chamædroydes.

**Brassica alba sessilis Cumana Plinii.**

capitata rubra.

raposa Lugdun.

florida botrytis Lobel.

non capitata viridis.

rubra.

alba crispa.

arvensis tertia Fuchsi.

**Branca Ursina. vide acanth.**

**Bryonia officinar,**

**Buglossum vulgare violaceum echii**

facie.

erraticum asperum echioi-  
des.

sylvestre minus.

talmum Dioscorid.

Dodon.

**C.**

**C**Alamintha incana ocimoides  
Bauhini.

aquatica rotundifolia.

italica



italica pulegii odore.

spicata Lobelii.

vulgaris officin.

Calceolus Mariæ vide Helleborine fer-  
ruginea Dalechampii.

Calendula, caltha prima Bauhini vul-  
garis.

colore pallido, citrino,  
ruffo, simplici.

polyanthos Tabernæmôt.  
minor Cretica.

Caltha palustris flor. simplici major.

minor. 1  
flore pleno Camerarii.

Campanula rapunculus perfoli fol.

magno fl. Lobelii.  
minor rotundifolia.

Lini folio Bauhini.

Cymbalaria fol. Ejusdē.

Latescens pyramidalis

Gesneri major.

peregrina Cretica.

Carduus pratensis polycephalus.

viarum.

Lacteus Syriacus Camerar.

vinearum repēs sonchi folio.

lutea



leucographis Plinii.  
agrorum.

**Caryophyllata** aquatica flore nutante  
Bauhin.

montana vulgaris simi-  
lis Camer.

**Caryophyllus** maximus ruber flore  
simplici & pleno.

variegatus diversa specie.

**Laciniatus** adrubrum.

album.

varium.

barbatus fl. pleno, Arme-  
rius.

fl. albo.

incarnato.

purpur.

**Chartusianorum** Taber-  
næmont.

montanus sive rubens  
proliferus.

albus.

incarnatus.

Sylvestris fl. saturato pur-  
pur Cæsalp.

**Cerinte** major Lobelii fl. purp.

flore



flore flavo Clusii.

minor Plinii.

Chamæcyparissus Plinii, abrotanum  
fæmina.

minimus pereñans.

Chamædryis vera officin.

montana frutescens.

angustifolia spuria vulga-  
ris mas.

spuria hederacea repens.

fol. laciniatis purpur.

alba Jenensis.

Chamædryoides Lobelii seu pratensis.

Chamæmelum chrysanthemū Fuchsii.

arvense Dod.

nobile odoratius Ro-  
-manum.

album inodorum

Breunsf. s. cotula.

foetidum.

Chamæpytis mas dioscoridis fl. luteo.

Chamenerion Gesneri. vide Lyfima-  
chia glabra siliquosa angustifolia.

Chrysanthemū segetū s. matricariæ fol  
totum luteum Cre-

ticum.

folio



folio profundè lacinia-  
ato magno flore.

repens.

**Cicer** flore ex purpura rubescence fru-  
ctu albo.

rubro.

sylvestre herbariorum foliis  
oblongis hispidis.

majus.

minus.

montanum lanuginosum ere-  
ctum IV.

**Cichorium** sylvestre offic. fol. integro  
& laciniato

florib. albis & cœruleis.  
flore luteo.

annuum Creticum.

angustifol. scariola qui-  
busdam.

pratense luteum levius.

**Circea** Lutetiana Dalechampii.

**Cirsium**, carduus, latissimum.

**Cistus** humil. exotic.

**Citrullus** officinarum cortice virente.

**Clematis** daphnoides minor flore cœ-  
ruleo

albo.

ma-



major hortensis Clusii.  
**Clematitis** sylvestris latifolia, Vitis  
nigra.  
altera Turneri flammula  
jovis erecta, Gerardidicta.  
major erecta Pannonica.  
**Cochlearia** folio sub rotundo.  
Batava dicta Lobelii.  
**Colocasia** Gesneri, Arum Ægyptia-  
cum maximum Bauhin.  
**Colus** vide Horminum unctuosum.  
**Colutea** vesicaria Theophrasti.  
scorpioides major.  
minor.  
**Cōsolida** regalis flore cœruleo magno  
incarnato.  
majore & multi-  
plice ex albo.  
cœruleo sine cal-  
-cari.  
arvensis flore cœruleo.  
minor Matthioli.  
**Convolvulus** major Hispanicus pur-  
pureus.  
minor cœrul. noctifl.  
**Cotonaster** Belloni, Epimelis Lugdu-  
nensium alioquin. Cu-



**Cucumis** fativus, citreolus Cæsalpini.

flexuosus Lacun.

pyriformis Tabernæmont.

asininus dictus Elaterium.

**Cucurbita** major folio maculoso.

tuberosa sessilis.

ficus folio.

**Lagenaria** minor Tabern.

major.

**Verrucosa.**

stellata Camer.

**Cyanus** major hortensis flore amplo.

tertius hortensis flore simplici.

fl albo.

carneo.

cœruleo.

puniceo.

ungvibus albis.

puniceis.

**Turcicus** fl. pleno amplo albo.

purpur.

**Cymbalaria** Itala folio hederaceo

Matthiol.

**Cyminum** semine longiore officinar.

sylvestre genus Gesn. nigrū.

**Creticum** melitensi affine.

**Cyno-**



Cynoglossū majus vulgare Matthioli.  
Hispanicum perenne cœ-  
ruleum.

D.

**D** Amasonium Lugdunense.

**D** Datura foetida pomo spinoso  
oblongo

Nux methel Arabum dict.  
fl. simplici albo & pleno.

**Æ**gyptia pomo spinoso femine  
pallido.

flore variegato exotica.

**D**aucus nodosus Creticus.

jenensis montanus apii folio  
albicans dictus.

apii folio major, vide Libano-  
tis nigra.

**D**entaria major Matthioli, Anblatum  
Cordi.

minor ex candido purpuras-  
cens.

**D**entelaria Rondeletii.

**D**igitalis purpurea folio aspero Bauh.  
alba Dodon.

lutea sylvestris folio vire scete.  
flore



albidus flore ferrugineo Lobel.  
Diptamnus Creticus Dodon. verus  
officinar.

albus vulgaris Tragi.

Pseudo diptamnus Matthioli flore ver-  
ticillato.

Doronicum Pardalianches dictū Plinii.  
Americanum Bauhini.

Doricnio congener planta Clusii. vid.  
Lotus.

Doricnium Dioscord. & Italarum vid.  
jac. oleæ folio

Draco herba Dodon. Dracunculus  
esculentus hortensis.

Dracuntium Dioscoridis.

Dulcamara Dodonæi.

E.

**E** Bulus vide Sambucus.

**E** Echium vulgare floribus purpu-  
rascentibus rubellis Lobelii.

Elatine, folio subrotundo, s̄ veronica  
fœmina Fuchsii.

Dodonæi, vide alsine hede-  
racea.

Epimedium Botanicorum Angvillrae.

Eranthemum vide flos Adonis.

Eri-



Erisithalis Plinii vide Carduus.  
Eruca peregrina Clusii s. Leucojum  
Patavinum.

Sativa Matthioli.

crispa fol. nigricantibus.

sylvestris caule aspero Lobelii.

lutea latifolia, Barbarea dicta.

Cretica siliqua articulari Bauh.

Eryngium, s. iringus, primum Tragi.

latum monspeliensium.

Euphrasia officinarū ex luteo albicās.

pratensis rubra.

## F.

**F**œniculum s. marathrum Diosc.

Germ.

Italicum semine ob-

longo gustu acuto.

dulce nostrum s. vul-

gatius Lobelii.

Hippomarathrū Cre-

-ticum Honorii Belli.

Porcinum vide Peu-

-cedanum.

Fœnum Burgundiacum Lobelii.

Græcū officinarum s. sativū.

Ferrum



**Ferrum equinum Matthioli.**  
Germanicum filiquis in sum-  
mitate fitis.

**Ficus Indica major.**  
minor. vide opuntia.  
communis Massin.

**Filipendula vulgaris Eustach.**  
palustris Tabernæmont.  
vid. Petroselinum.

**Flos Cōstātinopolitanus. vide Lychnis.**  
Affricanus, vice Tanacetum Affri-  
canum.

Solis maximus perennans Bau-  
hini vide Helenium.

Passionis vide Clematis.

Cardinalitius vide Trachelium.

Adonis, eranthemum.

**Fragaria prolifera flore pleno.**

**Fraxinella vide diptamnus**

**Fraxinus prima major Anguillaræ.**

Fago similis.

λίβόστος.

**Fritillaria præcox purpurea variegata**  
